

CAPUT II.

PONDERA, ET MENSURAE
EORUMQUE CHARACTERES.

PONDERA.

- ℔j. LIBRA..... *constat* Unciis duodecim.
 ʒj. UNCIA. Drachmis octo.
 ʒj. DRACHMA. Serupulis tribus.
 ʒj. SCRUPULUS. Granis viginti quatuor.
Sil. SILIQUA. Granis quatuor.
Ob. OBULUS. Granis duodecim.
gr. GRANUM quod aequat pondus grani hor-
 dei modicè crassi.

MENSURAE.

Hae eisdem nominibus, quibus Pondera,
 donantur, et quamvis capacitate variant pro
 diversa Fluidorum gravitate specifica, ad tru-
 tinam singulae ita revocatae sunt, ut quan-
 titas Aquarum, Decoctorum, Oleorum, et
 Syruporum, quae omnia Mensuris inter se

o

capacitate distinctis metiri apud nos usu receptum est, Ponderibus exacte respondeant.

Cong. CONGIUS habet libras octo.

Q...... MENSURAE QUADRANS uncias sexdecim continet.

Cochl. COCHLEARE unciam ferè dimidiam, vel tres drachmas liquoris continet.

Gut. GUTTA minima est quae haberi potest liquoris per intervalla stilantis portiuncula.

Gutta liquidorum Grano Solidorum ferè respondet.

SESQUILIBRA, libra una et semis.

SESQUIUNCIA, uncia una et semis.

SESQUIDRACHMA, drachma una et semis.

N. NUMERUS, 1, 2, 3, &c. utuntur à Medicis quando numerant aliqua, ut Fructus, Viperas, Scorpiones, et similia.

P. PUGILLUS quidquid digitorum apicibus comprehendi potest.

M. MANIPULUS, quidquid manus apprehendit quantum fieri potest dilatata.

F. FASCICULUS Manipulis duodecim constat.

SS. SEMIS medietatem cujusque ponderis significat, ut $\text{℥ss.} \text{ } \text{ʒss.}$ &c.

āā. ANA, vox à Graecis sumpta, singulorum rerum prius enuntiatarum aequale pondus in schedulis sumendum esse ostendit; idest quantum de uno medicamento accipitur, tantum de singulis est accipiendum.

P.Æ. PARTES AEQUALES, in quibusdam schedulis ubi quantitatem non est necesse praescribere, dicitur *omnium partes sumendas aequales*, ut in praeparatione Carbonatis Magnesia uti solet.

PP. Idest PRAEPARATUM..... }
S. A. Idest SECUNDUM ARTEM. } Dicitur
Q. S. Idest QUOD SUFFICIAT... }

cum Pharmacopaeo modus componendi aut ponderandi, vel mensurandi juxta Pharmaciae regulas committitur.

Q. V. Idest QUANTUM VIS: Cum Pharmacopaei arbitrio pondus vel mensura reliquitur.

V. M. Idest BALNEUM MARIAE, seu AQUOSUM.

B. V. Idest BALNEUM VAPORIS.

N. B. 1.^o In compositionibus Minsicthi libra continet uncias sexdecim, similisque est libra D. Fuller.

2.^o Characteres ponderum et mensurarum, licet à praxi medica rejecti fuerunt in prioribus editionibus Pharmacopoeae Hispanae, et non sine utilitate, nos autem cum à Medicis hodiè nunc praescribantur, hinc inserere necesse visum fuit, ut Tyrones in compositionibus non dubitare queant.

3.^o Fasciculus, Manipulus, et pugillus mensurae sunt vagae, et erroribus obnoxiae, quia portionem vel quantitatem praecisè non significant, ob diversam raritatem, aut soliditatem rerum mensurabilium; cujus rei gratia, et ut Pharmaceutici certè in dispensatione schedularum, partiri vel metiri possint, sic has mensuras regulamus.

FASCICULUS, libris duabus..	} <i>Respondet pro termino medio.</i>
MANIPULUS, unciis duabus..	
PUGILLUS, dimidia uncia...	